

A. K. 357, 12.

II f  
680

DE  
**IMMORTALITATE  
ANIMORVM**  
EX  
**INFINITORVM DESIDERIO**  
COMMONSTRATA  
COMMENTATIO POSTERIOR  
QVA SIMVL  
AD  
**ANNIVERSARIAE  
GRATULATIONIS**

OFFICIVM

CRAS H. L. Q. CONSVENTO

CELEBRANDVM

INVITAT

JO. CHRISTOPH. MACHER

ELOQ. PROF. ET SOC. LAT. IENENS. COLLEGA



GERAE, EX CHALCOGRAPHIA SCHRADERIANA.

**S**ero ad telam, quam exorsi sumus ante hos duos annos, pertenendam reuertimur: quoniam aut occasio eius absoluenda nobis adhuc defuit; aut alterius materiae, commode interim disputandae, facultas oblata est. Contemplantibus tunc nobis animi humani natura talis esse visa est, ex qua illius immortalitas facile posset intelligi: propterea, quia tales eius vires sunt, quales, si esse vムquam ipse desineret, frustra accepisse a Deo, fabricatore suo, putandus esset. Interim vero multa sunt hac super re a viris doctissimis vltro citroque disputata, quorum ali nostram illam argumentationem defendendam suscepserunt, alii eamdem ingeniose perquam impugnarunt. Quam ob rem, quae initio ad duo nobis capita reuocanda videbantur, ab hominibus doctissimis contra eamdem studiose dicta, ea nunc in tres classes describenda sunt. Alii enim illam in *Platone notarunt*, rationibusque, ex ipsa huius summi philosophi disciplina petitis, refellere studuerunt; alii eam in se naturaque sua talem esse negarunt, vnde certum aliquid, *aut* *firmitas quaedam assensionis, gigni posset*; alii eam denique esse pronuntiarunt, *quae ne probabilem quidem immortalitatis opinionem faceret*. Contra singulos quid dici possit, nunc videbimus: ita tamen, ut sententiae cuiusque auctores commemorandos nobis propterea minus putemus, ne aut doctrinae meritisque illorum, in diuinam humanamque sapientiam summis, parum deferre; aut claritate nominis eorum nobis aliquam famam conciliare; aut ipsos potius viros clarissimos, quam illud, quod sentiant, oppugnare; aut eorum litiibus immiscere nos temere velle videamus.

Qui nostram igitur argumentationem *in Platone*, qui *eamdem olim usurpauit*, reprehendunt, nequaquam nos deiiciunt a nostra sententia. Magnus enim in primis homo eti eadem, qua nos, *Opp. p. 378.* ratione iudicare videtur, quod, quamdiu inclusus in corpore est animus, perpetuum illud veri perspiciendi desiderium, quo mouetur, expleri non potest, eum propterea tamquam capite damnandum ac morte multstandum minus videri: ab aliis tamen opinionibus haec eius ratio profici sci creditur, quam quas aut alii probent, aut ipsi agnoscamus. Primum enim ingeniosum hominem *in eo peccasse*, aiunt,

aiunt, quod sensibus iudicium veritatis adimereret, ideoque minoris hominum viventium ficeret scientiam, quam par esset. Nempe, quum hac in vita parum comprehendenter animi, post mortem certe aliquem cognoscendi locum illis datum ab eo esse existimant. Nunc equidem, vtrum ex hoc tamquam fonte hauserit illud, quod animos, postquam soluti essent a corporis vinculis, desiderium veri videndi demum expleturos, proptereaque aeternos futuros esse putaret, non quaero: quippe non Platonis caussam acturus, sed animorum. Fortasse escent, quae dici, hoc in genere, pro Philosopho nostro possent; sed id nunc non agimus. Interim si ita sensit magno vir ingenio, in redenda rei ratione magis, quam in re ipsa errasse iudicio suo nobis videtur, quod fraudi esse nec veritati debet, nec iis, qui eam amplectuntur. Porro id tantum ex eius argumentatione consequi putant, ut animi, a corporibus disiuncti, res, quas, inclusi in iis, tamquam hebeti sensu comprehendissent, multo perciperent clarius; quod ipsum tamen, nisi quis reliqua eius somnia, de connatis ideis animorumque, ex Deo, emanatione, probare iudicio suo una velit, concedi illi nequaquam debeat: quoniam, quomodo cogitare animus, sine corpore, possit, difficile sit intelligere. In quo sermone duo videntur esse, quorum aliud Platonis eiusque philosophiae proprium est, ideoque a nobis non attingendum; aliud, vniuerse dictum, ad ipsam, de qua quaeritur, caussam pertinet. De hoc igitur videamus necesse est. Difficiliorem, aiunt, cogitationem occurtere, quo modo liber a corpore animus possit cogitare. Sed nos propterea contra illius immortalitatem magnopere nitendum esse negamus. Nam primo neque omnem adhuc animorum naturam perspectam habemus, neque, quomodo inclusi in corpore iidem cogitent, recte intelligimus; etsi, cogitare eosdem, satis sentiamus. Deinde in ipsa mentis vi ac natura nemo adhuc reperit, cur, cogitare illam sine corpore posse, negare liquido ausit. Contra ea, quod sexcenta quotidie percipit, quorum cadere nihil sub sensu corporis possit, eamdem cogitare etiam sine corpore posse, non fit improbabile. Quibus omnibus si quis est, qui fidem habere dubitet, is, per nos licebit, ad eorum, vel philosophorum, vel theologorum, confugiat sententiam, qui animos, quum exeunt e corpore, tenue quoddam visumque fugiens corpusculum, ex hoc maiori

*Leibnitius  
Theod. P.I.  
§ 90. Poiree  
economia*

### III

T. IIII. c. II. aspectabilique ipsorum domicilio, velut tabulam e naufragio, ser.  
18. p. 46. s. uare, illiusque opera sentire, atque impetum ad cogitandum capere,  
cogitat. ra- existimant. Nobis satis est, demonstrasse, non permanere solum  
e. 25. Can. animos, ab excessu e corpore; sed viuere etiam, et cogitandi facul-  
tatem medit. tatem habere; etiamsi, qua ratione id fiat, nos lateat. Multae  
ad A. C. T. enim res sunt, quas esse nemo dubitet; modum vero earum ratio-  
VIII. p. 7. nemque nullus intelligat.

et 712. s.

Venientum nunc est ad eos, qui hoc infinitum desiderium ad certum assensionisque firmitatem eam, quae mathematicorum propria est, nihil valere iudicant: propterea, quia demonstrari illud vlo pacto posse negant. Sed nos supra, eodem homines commoueri perpetuo, sat-  
tis euicisse nobis videmur, freti experientia sensuque et omnium hominum, etiam eorum, qui liberi sunt ab omni animi perturba-  
tione, et puerorum maxime, in quibus veteres naturae vim potissimum intelligere sibi visi sunt. Quam rem si quis aut institutioni adscriberet, aut minus ad demonstrandum valere iudicaret, nae is parum facere prudenter nobis videretur. Nam neque philosophus vñquam aliquis tam difficilis fuit, qui experientiae locum inter principia demonstrationis relinqu oportere negaret; neque tam late institutionis vis patet, vt ad vniuersos perueniat, ad liberos etiam, eius plane adhuc expertes. Ac si quis est, qui huic naturae communis voci audeat refragari, is nec demonstrationibus, Eu-  
clidea quavis certioribus, aures patulas facile praebet. Multo enim facilius regi homines naturae impulsione solent, quam subtili quadam probatione, cuius vim, pauci oppido sunt, qui perspiciant. At porro, ipsa illa naturae prima, quae Stoici vocauerint, ita comparata esse, negant, vt fieri semper soleat, ad quod incitent animum. Cui rei vt fidem faciant, eius nos admonent, qnqd generi animantium omni est a natura tributum, vt vitam, quam ponere tamen suo tempore nullum non cogatur, tueantur, coniunctionemque appetant, procreandi caussa. Vnde, ex ipso illo infinito desiderio non aliam, nisi dubiam admodum, immortalitatis coniecturam fieri posse, iudicant. Sed hic, velim, considerent, ipsas illas naturae impulsiones duplicitis fermē generis esse; aliasque huius vitae corporisque vtilitatibus terminari, atque, vt obsequi homines iis possint, aliarum quoque, ac tamquam

tamquam extranearum, ferum copiam, ad quas sint eae concilia-  
tiones, requiri; ubi praeterea inter beluam et hominem hoc ma-  
xime interfit, quod illa tantum, quantum naturae stimulis moue-  
tur, ad id solum, quod praesens est, se accommodat; hic autem,  
rebus iis propositis, consultat, vtrum sint honestae, vtilesque facta:  
alias autem ad ipsius mentis culturam felicitatemque, ac finem adeo  
bonorum, pertinere; neque ad id, ad quod ducant, rebus aliis  
finitis indigere, sed natura sua tales esse, vt, honestum sit atque  
vtile, illas sequi, nec ne, in deliberationem plane non cadat. Nam,  
vitae tuendae curam, quis non intelligit, ad primum illud natura-  
lium impulsionum genus pertinere? vt pote quae tamdiu modo  
exsuscitare homines debeat ad se conseruandos, donec is, qui col-  
locauit eos in hac statione, quam dederat ipse, vitam reposcat.  
Ita etiam iudicandum est de altero illo, quod omnium animantium  
commune est; appetere nempe coniunctionem, procreandi caussa.  
Nam primo ad huius vitae tantum usum illud pertinet; deinde  
facultatem aliquam, quae non semper in appetentis est potestate,  
sed a rebus externis pendet, postulat, quarum si copia non sit,  
mirum non est, si frustra eadem incitari se homo sentiat. Acce-  
dit, quod eadem impulsio, quum ad finem bonorum non proxime  
pertineat, grauem habet deliberationem, vtrum honeste, quod  
facere hortatur, fieri possit, coniugesque, liberos ac caeteros, quos  
caros habeat, tueri homo queat? E quorum genere profecto non  
est illud infinitorum desiderium. Namque et in finem bonorum,  
Deum, maxime fertur, neque alterius cuiusquam rei, extra illum,  
magnopere indiget, nec deliberationem ullam, vtrum honeste ex-  
pleri possit, admittit. Quam ob rem si, quod facere hortantur  
alterius plane generis impulsiones, interdum non sit, male, si quid  
videmus, ad infirmandam huius vim inde praesidium petitur. At in-  
nitam veri inquisitionem investigationemque in hominem cadere negant. Etsi  
enim Deus infinitam ius veri videndi materiam praebere potest: probabile  
tamen esse iudicant, animis tantum partem aliquam eius cognoscendi, velut  
pensum, datam esse, qua absoluta, non quiescere modo ii, sed esse quoque  
desinere possint. Sed multa se offerunt, quae dici possint contra.  
Primo quidem doctorum hominum verba ita intelligimus, vt, eos

Deum

## VI

Deum non in descriptas quasi partes, easque finitas, diuidere, sed aliquem cognitionis diuinae tamquam gradum statuere, existimemus, ad quem vbi peruentum sit, non longius progredi animus huma-nus possit. Sed ea cognitio quum finibus ita suis esset circum-scripta, quos omnino animi abhorrent, palam esset, maius videndi veri desiderium a Deo hominibus inditum videri, quam ipsa esset scientia, ad quam acquirendam illud hominem moueret; quod vtrum de mente sapientissima dici possit, dubito. Deinde nihil videmus, cur infinitam, in vero inuestigando, progressionem in animos ca-dere negemus. Neque enim in iis ipsis aliquid reperimus, neque extra illos, cur fieri illud nequeat. Est enim Deus praecipue, vt alia taceam, qui, quod nec ipsi, qui sentiunt aliter, diffidentur, in-finitam cognitionis materiam praebere iis possit: vt vero in eo co-gnoscendo se perpetuo etiam velint occupare, illa naturae impul-sione, de qua agimus, tamquam internis quibusdam stimulis, ex-fuscitantur. *At sic ipsi animi sicuti infiniti, diuinamque mentem aequa-bunt?* Non est, quod ita metuamus. Tum demum illud esset ve-rendum, si, quaecunque in Deo sunt, ea simul, et ita cognoscerent, vt augeri porro illa cognitio non posset. Iam quum perpetuo tantum in contemplanda Dei natura versari dicantur; neque tamen aut perspicere illam plane, vel ob id ipsum, quod infinita est; aut percipere illam totam simul putentur, quod ad infinitam intelli-gendi vim apprime requiritur: immerito illos timere existimamus, ne diuinae nostram aequemus mentem. Quam rem a mathemati-cis figura quadam, ex ipsisorum disciplinis desumpta, scite illustrari memini: sed talia attingere, nunc per spatium, quo circumscripti sumus, prohibemur.

Restat igitur, vt eos etiam audiamus, qui ne probabilem quidem immortalitatis opinionem illud infinitorum desiderium facere iudicant. Pri-mo enim negant, credibile videri, Deum optimum sanctissimumque pu-gnantes secum motus animis ingeneruisse: nihil enim vehementius secum pugnare, quam vt mens finita cupiditatibus, quarum finis terminari nulla re posset, incitari putetur. Sed ne dicamus, cupiditates ita cum na-turae conciliationibus permisceri, contra, quam vtriusque poscit ratio; ingenue fatemur, nos tam acute non cernere, vt, qua ratione illud

VII

illud infinitorum desiderium, quo moueantur animi, pugnet cum horum natura, perspiciamus; praesertim si, cur dicatur infinitum, recte teneamus. Nisi enim velimus videri iam illud consecuisse, quod queritur: animos nempe immortales non esse: ne suspicio quidem eiusmodi pugnae subnasci cuiquam poterit. At eiusmodi cupiditatibus tamquam igniculis perpetuarum perturbationum continerunt: unde quum fiat, ut nihil sit homine miserius et ad consequendam vitae tranquillitatem ineptius, easdem opifici naturae nostrae recte adscribi, negant. Sed certum est, quid respondeam. Primo perturbationes e naturae impulsionibus, tamquam fruges in agris, nasci, non infinitiamur: sed proximae tamen earum caussae sunt voluptates, quas in omni hac disputatione cum illis saepe confundi animaduertimus et aegritudines. Hae vero nulla naturae vi, sed immoderata quaedam intemperantia, in concupiscendo et auersando, concitantur. Qua nisi aegritudo apportetur homini, non magis ille infinitorum perturbabitur desiderio, quam ob id solum aegrotat, quod corpore est circumdatus. Vt enim mare, quamquam vnde illius caussam quaedam fluctuum et procellarum continent, ideo tamen procellosum non est, nisi ventorum accedat impetus: ita, qui desiderio infinito se moueri sentit, quod a natura habemus, inquietus animo que minus sibi placatus propterea non erit; nisi vitium illud capiat, quod est ab hominis prolapsione, longiusque a naturae constantia recedat. Deinde facile quidem largimur, si beatus ille demum putandus est, cui ad felicitatem nihil desit, homini perfectam felicitatem tribui non posse: tamen non magis ideo dicendus erit infelix, quam quod non nouit omnia, aut quod siti subinde a fame incitari se sentit. At, quum desiderium eiusmodi homini, adhuc integro, inesse non potuerit: aut aliquod immortalitatis suae argumentum ei sum, quum erat optimus, defuisse putans; aut ex infinitorum desiderio hanc minus vere colligi existimat. Sed quidni fuerit illud in homine ante prolapsionem primaevam? Immo infuerit eidem necesse est. Si enim nullo ille desiderio moueri se sensisset, num hostis ille generis nostri, maioris boni appetitione, detrudere illum in hunc miseriarum, quibus iam immersus est, statum potuisset? Quid? quod ne carere quidem illo potuit, nisi eum, velimus, huius vitae bonis

VIII

bonis acquieuisse; futurae vero felicitatem susque de que habuisse.  
Quae quin ita sint, facile erit iudicatu, quid iis tandem sit respon-  
dendum, qui, diuina, doceant, nos gratia eodem liberandos esse: quoniam  
ad virtutis statis, quam Graeci *xaxiav* appellant, humanae naturae documenta  
sit referendum. Alterum enim refelli ex supra disputationis facile pote-  
rit; alterum vero negare eo confidentius possumus, quo minus vlo  
diuino munere ab iis liberamur, quae ipse in nos sapientissime con-  
tulit. Atque ita omnino nobis tale videtur esse infinitorum desi-  
derium, ex quo animorum immortalitas duci recte possit.

Vnde quum fieri etiam soleat, ut scientiam homines ad beatu-  
viendum necessariam ducant, accedit, ut, quum piorum votorum  
officium, quod sub anni noui exordium solemne est, celebrare ado-  
lescentes aliquot probos diligentisque iubemus, de SCIENTIA  
omnes sibi dicendum putarent. Facient igitur verba, et Latine  
quidem omnes,

IO. PAVLLVS MICHAELIS, Closchwizensis, de variis  
vitiiis, in quae homines, sciendi auiditate ducti, incident:

IO. GOTTLIB HILNER, nostras, de optima scientia,  
sui notitia:

ANTON. GVILIELMVS REINHARDT, Otten-  
dorf. de vario, quod scientiae statutum est a variis, pretio:

ERHARD. HENRICVS HENNIG, Coranus, de  
scientiae dignitate.

Quibus cum orationibus, diligenter ab ipsis conscriptis, priores  
duo pia vota, pro PATRVM PATRIAE INDVLGENTI-  
SIMORVM salute, EPHORORVM ILLVSTRIVM prosperi-  
tate, DOCTORVM, FAVTORVM QVE incolumitate, con-  
iungent. Quam pietatis nostrae testificationem ut, quibuscumque  
per alias occupationes licet, praesentia sua honorifica comprobare  
velint, vehementer oramus. Scrib. Gerae A. S. R. clo bCC LIII.  
exeunte.



A.H. 357, 12.

II f  
680

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



### Farbkarte #13

D E  
R T A L I T A T E  
I M O R V M  
E X  
O R V M D E S I D E R I O  
C O M M O N S T R A T A  
E N T A T I O P O S T E R I O R  
Q V A S I M V L  
A D  
V E R S A R I A E  
C V L A T I O N I S  
O F F I C I V M  
H. L. Q. C O N S V E T O  
C E L E B R A N D V M  
I N V I T A T  
R I S T O P H. M A C H E R  
O F. E T S O C. L A T. I E N E N S. C O L L E G A  
C H A L C O G R A P H I A S C H R A D E R I A N A.

